Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36571
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tate. ut in templum dei statuam baal. quam imaginem beli dominus vocat statuerint.
et in eodem sanctuario idola. et deum pariter venerati sint. unde sacerdotes idolorum.
non sacerdotes. sed aedituos vel fanaticos appellavit. Et aedituos quoque et sacerdotes
quondam dei. et eos qui in domatibus adorabant militiam caeli. solem. et lunam. et astra. et
qui iurant in nomine domini. et in nomine idoli amanitarum melchom. et qui aver-
tuntur de post tergum domini. et qui non quesierunt eum. dispecta. Avertuntur autem de post tergum
domini. qui relinquentes cultum eius iurant in melcho. et adorant militiam caeli. et ve-
nerantur baal idolum sidoniorum. Spiritaliter venientem domino rara apparuerit fi-
des in terra. et extendit dominus manum suam ad supplicia peccatorum. super iudam
qui sibi videtur nomen domini confiteri. et hierusalem ecclesiam que in pace est. et auferat nomen
vanae gloriae ab ecclesia. in qua iuxta iacobum honoratur aureum anulum habens. et contemp-
nitur pauper. sed et nomina sacerdotum. episcopi. presbiteri. cum sacerdotibus qui sibi adplaudent
dignitatem. et non in opere. Silete a facie domini dei. quia iuxta est dies domini. quia praepa-
ravit dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. Diem autem domini intelligamus captivi-
tatis. et ultionis in populum peccatorem. et hostiam subversionis hierusalem. et sanctifica-
tionem eorum quos dedicavit interfectioni. Haec enim victima placet. has enim hostias
sanctificavi. Potest autem hoc quod ait sanctificavit vocatos suos. et de babyloniis acci-
pi. quod in ultionem populi eorum servos suos vocat vindicantes iniuriam suam. Vocat
inquit nabuchodonosor servum suum. et non solum servum. sed columbam quoque eum vocat.
a facie gladii columbae. Et erit in die hostiae domini. visitabo in passione super princi-
pes. et super filios regis. et super omnes qui induti sunt veste peregrina. et visitabo omnem
qui arrogant ingredi…tur super limen in die illa. qui complent domum domini dei
sui iniquitate et dolo. … In die iudicii captivitatis. quando totus populus ymo-
landus est. visitabit dominus et super principes qui mane bibebant siceram. et super filios
regis. vel omnes de stirpe regia. vel certe propter filios iosiae. quos vel occisos vel
captos legimus. et super omnes qui induti sunt veste peregrina. hoc est qui pro dei cultu
venerati sunt idola. et super omnes qui arrogant ingrediuntur super limen in die illa.
hoc est adversus superbos. qui cum quodam fastu. et dignitatis supercilio. gradus templi